

expectabant Judæi. Itaque multum ibi fecit dum obscurus tam diu latens suamque divinitatem abscondens, nullum miraculum fecit. Hoc ipsum enim erat multo maximum miraculum. Quis namque non uritur dum ignotus alieno loco, eruditione interim vel genere clarus, vilis reputatur? Quam ægre talis se continet, quominus doctrinam suam et genus ostendat? Cogitate Alexium quid sentire debuerit in paterna domo ignotus ideoque velut mendicus ab omnibus contemptus et neglectus? Interim tamen sicut serpens sine pedibus et scalis, gradiens in pectore, et per angusta foramina, tandem ad verticem montis adreptus: ita etiam Christus per hanc sui despicientiam et depressionem ascendit ad summam æstimationem, et Judæorum admirationem; adeo ut dicerent: *Quomodo hic litteras scit cum non didicerit? Unde hujus sapientia hæc? Unde huic hæc omnia?* Quasi dicerent: Nihil in eo magni antea vidimus qui neque scholas adiit, neque litteratos parentes habuit. Qui ergo ad honoris apicem contendit, hanc viam tenere debet, cum Christo se deprimere et abscondere, humi repere, in umbra latere. Proinde errant illi, qui contrariam ineuntes viam, per fastum, pompam, potentiam, ad gloriam nituntur. Refert Justinus historicus, lib. XVIII. de servis Tyrriis, quod cum heris suis sub jugum actis imperium Tyri capesserent, statuerint e suo numero eum regem eligere, qui orientem solem primus vidisset. Omnes igitur ad orientem vultus convertebant, unus dumtaxat a priore domino suo edoctus, ad occidentem oculos direxit; ubi incidentes in montium cacumina radii, solem ipsi primo ostenderunt. Sic iste rex electus est. Quid agunt plerique homines ut magni evadant? Ad orientem se convertunt, honores ambiunt, magnates prehensant, munera offerunt, splendida convivia instituunt, pompam famulorum adsciscunt, vestium apparatus adhibent; interim revera parum aut nihil efficiunt, et coram Deo servi manent. Quare tu, si regiam cæli dignitatem consequi velis, non ad honores sæculi, sed ad despectum: non ad ortum, sed occasum te converte. Sane Alphonsus rex Aragonum, cum esset multis Neapolitanorum proceribus invisus et potissimum Andegavensi factioni, tum demum diligere coepit posteaquam deprehensus in venatione adjuvisse sua manu carbonarium, in sublevando asino e profundo luto, Panormi. in ejus gestis. Hac via Carolomanus e regia Francorum stirpe, dum in S. Benedicti religione pastorem ovium egit: Sancta Elisabetha Hungariæ regis filia, dum leprosis serviit, ut ulcerosos lavit, majorem sibi gloriam, non solum in cælo,

sed etiam in hoc mundo compararunt, quam qui armis et victoriis regna acquisierunt, aut ea dilatarunt.

III. *Fuit navis in medio mari*, per exercitium obedientiæ. Quemadmodum enim navis, ingens licet, una manu temonem vertente regitur et vertitur ad nutum; ita Christus cum esset Deus immensus, sub manu tamen et imperio parentum summa in obedientia vixit, ut asserit Lucas illis verbis: *Et erat subditus illis*. Navis certe fuit; pretiosissimis non solum mercibus onusta, sed præterea etiam sapientissima, seipsam dirigere sciens, et omnes vias circumspiciens, nihilominus se navarchis, Josepho et matri permisit gubernandum. Posset quis non immerito dubitare, cuinam competeret directio familiæ Josephi-Christo? Poterat is quidem ac debebat velut Deus, sed cum esset filius in domo, respuebat. B. Virgini? Sed erat sponsa Josephi; ei subjecta, et simul filia filii sui. Josepho? Debebat sane ei velut capiti familiæ, sed quomodo rudis opifex imperaret Deo et sapientissimæ matri ejus? Christus sol, Deipara luna, Josephus quasi stella erat. Tres domini et tres servi. Quis eorum imperabit? Quis serviet? Nimirum qui in omnibus virtutibus primas semper tenuit, hic etiam vincere debet. Sol ergo lunæ et stellæ se subiecit. Quis hic non stupescat? Ipsa Dei sapientia regitur a fabro ejusque conjuge! Credibile est Josephum quædam imperasse velut hominem mechanicum, minus sapienter, uti indicat ipse Christus in hodierno evangelio: *Nesciebatis, etc.* obediit tamen Christus, *et erat subditus illis*. At quamdiu subditus fuit? Ab anno 11. usque ad 18. quando adolescentes jam cristas suas erigunt. Ab anno 18. usque ad 24. quando jam temeraria consilia capiunt, militiæ aut matrimonio se implicant. Ab anno 24. usque ad 30. quando jam emancipati omnes liberi ab imperio parentum et sui juris esse volunt. Denique in qua re? In omnibus. Cum enim paupercula Josephi familia famulum alere non posset, domestica quæque officia obiisse Christum Dominum nemo dubitabit.

Jam vero, si hæc Dei Filius, non submittemus nos vermiculi terræ ductoribus nostris, fratribus, magistratibus, præceptoribus? Nos velut fragiles naviculæ in medio mari periclitamur unde navarcho indigemus, sine quo peribimus. Viderunt hoc sancti aliquot. Ideo S. Franciscus fratrem unum constituit, qui ipsum errantem liberrime corrigeret. S. Carolus Borromæus duos clericos in eundem aluit finem. S. Elisabetha Cornado confessario suo totam se subiecit gubernandam, edito etiam ad hoc voto. S. Marg-

reta Scotiæ regina, ne qua peccati macula in ipsa resideret, crebro suum admonebat confessarium, ut quidquid in ipsius dictis aut factis reprehensione dignum inveniret, id secreto indicare non dubitaret. Quod cum ille rarius et remissius, quam ipsa vellet, faceret, importunam se ingerebat: somnolentum illum et suæ salutis incuriosum ac negligentem vocitans, ita Lipelous, in ejus vita, 10. jun.

IV. *Fuit vir in adolescentia*; per morum gravitatem, modestiam et maturitatem. Ideo enim inter alias causas humanam carnem induit, ut in ea divinam videndi rationem exprimeret: quemadmodum et angeli in assumptis corporibus mores ostendunt angelicos. Regiæ personæ etiam sub laceris centonibus regios animos produnt; et agnoscuntur ex suis moribus. Ergo vel solus Christi aspectus concio quædam fuit, quo fine etiam S. Francis. ibat per urbem cum fratre suo, ut sola modestia sua erudiret homines, dicebatque: *Eamus concionatum*.

Fuit igitur vir in adolescentia multo magis, quam Tobias senior, de quo dicitur in ejus lib. cap. I. « Cum esset junior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere. Denique cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroam fecerat rex Israel, hic solus consortia omnium fugiebat, sed pergebat in Jerusalem ad templum Domini et ibi adorabat Dominum. » Si hoc Tobias, quid egisse putamus Christum? Ergo, o adolescentes, quando alii eunt ad vitulos aureos, ad ludos, et choreas, ad tabernas, ad gynæcæa, ad sphæristeria, vos ad officium, ad museum, ad oratorium pergite: quia hæc virilia sunt, illa puerilia; hæc seria, illa ludicra.

Fuit vir longe magis quam Sanctus Bernardinus Sennen. ordinis Sancti Francisci, quo teste ejus professore Joanne Spoletano, nullus scholasticus visus integrior magisque pudicus, ut in vita, 20. maii, apud Surium, adeo ut ejus condiscipuli, si quid minus pudicum loquerentur, eo adventante dicerent: *Tacet, Bernardinus venit*. Et si quis eo præsentem tale quid dixisset, ita rubore perfunderetur, ac si in faciem cæsus esset. Civem etiam tale quid loquentem sub mento graviter percussit et ad compunctionem perduxit. Alium quemdam nefarium quid ab eo petentem, junctis sibi condiscipulis, lapidibus impetiit. Non dubium esse potest, quin etiam ad præsentiam Christi pueri vel juvenuli, fuerint et Judæi ad modestiam compositi, et a levitibus absterriti.

Fuit vir longe magis quam S. Sabbas abbas qui ob morum gravitatem et modestiam in mo-

nasterio S. Euthymii, *Puer senex*, ab ipso est appellatus. Quis enim senior illo, qui ab æterno fuit? Et hic tamen puer fuit, sed senili prudentia, senili gravitate, imo plus quam senili, nimirum divina. Hanc prudentiam et gravitatem jam per radios saltem aliquos demonstrare cepit in patria sua, ut viam sibi pararet per vitæ sanctitatem ad lucandas animas.

Quando igitur tanta nobis exempla contemplationis, humilitatis, obedientiæ, modestiæ in se depinxit Christus eo tempore, quo latuit in Nazareth, sat multum profecto fecit. Habemus enim exemplar veri Christiani, quod si imitari volumus, nihil aliud a nobis magnopere exigitur. Claudio itaque cum D. August. in Psal. CXII. *Sit senectus vestra puerilis, et pueritia senilis, id est, ut nec sapientia vestra sit cum superbia, nec humilitas sine sapientia, ut laudetis Dominum ex hoc nunc in sæculum*.

CONCIO VI.

QUARE CHRISTUS ADOLESCENTIAM SUAM ABSCONDITAM VOLUERIT.

I. Ne ab invidis ante tempus occideretur. — II. Ut majorem suæ missioni fidem conciliaret apud Judæos. — III. Ut doceret teneram ætatem sedulo custodiendam. — IV. Ut doceret juvenes rationem se tuendi contra tot pericula. — V. Ut nos informaret, qua ratione in mundo conversari absque salutis periculo possimus.

THEMA.

Descendit cum eis, et venit in Nazareth. Luc. II.

Magno desiderio tenebatur aliquando Moyses videndi faciem Dei, Exod. XXXIII. *Si inveni, inquit ad Deum, gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam*. Sed respondit ei Dominus: *Videbis posteriora mea, faciem autem videre non poteris*. Itaque vidit transeuntem coram se Deum, sed a tergo, non a facie. Quid hoc in figura? Transeuntem per hunc mundum vidimus Dei Filium, sed qua ratione? Posteriorem vitæ ejus periodum vidimus, priorem non vidimus: quid ab anno trigesimo ætatis usque ad mortem egerit, scimus; quid ab ineunte ætate et anno 12. usque ad annum 30. fecerit, nescimus. Tergum igitur vidimus, faciem non vidimus. Sed cur ita Domine? Cur faciem tuam abscondis? Ostende nobis faciem tuam, et quid in juventute tua egeris, aperi nobis. Ad hoc respondet sicut Moysi: *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris*. Descendit enim in Nazareth, h. e. in

separatam (si per zain scribatur) in domum obsecuram, ut obscurus ibi degeret usque ad virilem aetatem. Quæ vero causa hujus tantæ rei? Cur mater ejus non aperuit apostolis? Cur ipse non revelavit evangelistis? Profundum est hoc mysterium, et magnæ ejus rei causæ esse debent, quas hic, quantum nostra tenuitate possumus, inquirere conabimur.

I. Latere videtur voluisse, ne, si ante justam aetatem divinitatis suæ indicia demonstraret, Judæorum contra se invidiam extimularet, et occasionem neci, ante debitum tempus sibi inferendæ præberet. Judæi enim plerique præsertim magistratus, filii tenebrarum erant et tenebras amabant, uti Dominus Nicodemo exposuit, Joan. III, § XIX. Ideoque lucem veritatis, velut lucifugæ citius extinxisset. Quod ex eo imprimis colligere licet, quia Christus miracula sua primo maxime anno patrata, solerter taceri præcepit, ne propalata invidiam ei crearent, odiumque concitarent, adeoque ante constitutum tempus mortem accelerarent, deinde ex eo, quod vix ad triennium sustineri a malevolis potuit, quin oculus ad necem quæreretur et raperetur. Quomodo vero tolerasset concinantem 20. annis, quem vix tribus tolerarunt? At non conveniebat, ut neci daretur Dominus ante perfectam aetatem, ne ejus repulsa et condemnatio imprudentiæ aut temeritati ipsius posset adscribi. Quemadmodum ergo Jacob, ut effugeret odium fratris sui Esau et mortem, quam ipsi machinabatur, secessit in Mesopotamiam, et ibi pastorculum agens fratris iram evasit, Gen. XXVII. ita Christus Dominus secessit in Nazareth, et obscurus ibi latuit, donec inde jam maturus prælio in aciem prodiret, cum mundo et dæmone pugnaturus. Scimus etiam Moysen, qui et ipse Christi typus fuit, cum incurrisset iram Pharaonis, fugisse in Madian, et ibi per quadraginta annos pastorem egisse; et ut Philo notat, interim se exercuisse in sapientia et philosophiæ studio, virtutum exercitio, oratione et contemplatione, quo præpararetur a Deo ad regimen Hebræorum, postea his armis reversum in Ægyptum, ut inde educeret suum populum, devicto Pharaone, Exod. III. Non assimili modo Servator noster, ut Scribarum et Phariseorum odium fugeret, recepit se in Nazareth, ibique partim opificio fabri, partim contemplationi vacans sese exercuit in loco obscuro, ut inde suo tempore prodiret in Judæam velut sponsus de thalamo suo, ornatus omni decore ex obscuro loco, et sua sapientia ac miraculis mundum ad se traheret, dæmonique abstraheret. Futurum autem Christum similem Moysi prædixit Dominus eidem, Deut. XVIII. *Prophetam*

suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui. Quod de Christo intelligendum esse patet ex Act. III. §. XXII. Act. VII. §. XXXVII. Joan. I. c. XLV.

II. Ut majorem sibi fidem missionis suæ celestis et auctoritatem apud homines compararet proditurus aliquando ad munus suum, quod erat docere et reformare mundum ex humili loco cum sapientia non humana sed divina. Eodem Deo consilio Moysen ex pastore ovium in duces populi e deserto evocavit in Ægyptum, Elisæum ab aratro sustulit et unxit in prophetam, III. Reg. XIX. Davidem quoque ab ovibus abstulit, I. Reg. XVI. Amos similiter a custodia armentorum, Amos VII. qui et suæ vocationis causam exponit, dicens: *Non sum propheta et non sum filius prophetae, sed armentarius ego sum vellicans sycomoros*, q. d. non habeo meam prophetiam ex arte, ingenio vel institutione; sed sum pauper bubulcus, a Deo ad prophetandum raptus; atque hoc ipso mihi prophetanti credere firmius debetis. Eadem viam inivit Christus, dum in parvulo tugurio latere et cum patre fabrilem artem voluit tractare, indeque immediate prodire ad erudiendum mundum celestibus disciplinis. Quare cum Nazarethani aliquando in patria, stupenda eum sapientia et gratia prædicandi obtrectarent dicendo: *Nonne hic est filius fabri? Et fratres ejus et sorores ejus omnes nonne apud nos sunt?* Matth. XIII. seipos cædebant. Hinc enim colligere debebant sapientiam ejus non humanam, sed divinam esse. Unde S. Chrysost. in eum locum, hom. XLIX. super Matth. *Nonne fratres ejus, inquit, tamquam ille sunt? Quid hoc sibi vult? Hinc enim magis in fidem induci deberetis.* Et paulo supra: *Nonne hic est fabri filius? Quare miraculum majus et stupor multo amplior.* Simili stupore, Joan. VII. dicebant: *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Sciebant eum per omnem juventutem in Nazareth latuisse, nullum gymnasium adisse, nec cum legis peritis, sed cum fabris tantam a pueritia conversatum esse, et interim totam legem exactissime scire. Hoc ipsum arguitur erat, quo permoveri eos ad fidem oportebat. Unde Chrysost. in eum Joannis textum, hom. XLIX. *Eos, inquit movebat admiratio, unde id sciret: cum potius hinc cognoscere debuissent, nihil humani in eo esse.* Quis enim inter fabros addiscat theologiam? Quando arithmetici volunt ostendere artem suam, dicunt se demonstraturos hominum arcana, v. g. quis quid absconderit, quot nummos in loculis habeat, quis annulum, in quo digito, etc. ac ne videantur ab aliis id expiscari, vel clanculum intueri, abscondunt in aliquem angulum, pos-

tea prodent, omniaque inaneant, omnium admiratione. Ita egit Christus. E fabrili officina voluit prodire et celestia arcana mundo aperire, cogitationes hominum manifestare, Scripturas reconditas exponere, futura indicare, mira patrare. Eodem consilio Christus homines rudes in apostolos elegit, ut, cum repente a Spiritu s. edocti prædicare inciperent, majorem apud homines fidem obtinerent, velut homines non ab hominibus sed a Deo edocti. Unde Sanctus Augustin. serm. LIX. de verbis Domini ait: *Da mihi, inquit Christus, prius istum piscatorem. Veni tu pauper, sequere me, nihil habes, nihil nosti, sequere me. Idiota pauper sequere me.* Ad montem Styriæ nostræ celeberrimum monasterium hac occasione extractum refert P. Matth. Raderus, vel II. Bavaricæ. Voverat S. Gebhardus episcopus Salisburg. foundationem monasterii, et locum in amœna valle montibus undique cineta ad hoc elegit, sed dum difficultates inferendi necessaria ad structuram triduo jejunans expendit, insperato adstat ei inter alios quidam mutus simul et surdus, qui repente fari cœpit, et hæc sola verba protulit: *Heus tu, tuum est inchoare, Dei est consummare.* Satis hoc oraculum s. Gebhardo fuit, Dei vocem in elingui rustico agnovit et monasterii structuram aggressus, feliciter perfecit. Poterant et Judæi, si voluissent facile deprehendere Christi sapientiam non humanam, sed divinam esse, utpote ab hominibus nequaquam acceptam (neque enim minus est eum docere, qui nil didicit, quam elinguem fari) sed, ut advertit S. Chrysostom. loco cit. invidia excæcavit eos.

III. Ut documentum nobis daret quanta diligentia custodiri aetas tenera debeat. Non eguit magisterio magister omnis sanctitatis, etiam in teneris: sed egent adolescentes alii, quos proinde in parentum et magistrorum disciplina contineri voluit, quo modo sub parentum cura tot annis ipse perstitit. Nulla hominis aetas pluribus exposita est periculis, quam adolescentia. Est enim aetas D. Ambrosio teste, de interpel. c. VII. *invalida viribus, infirma consiliis, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa deliciis.* Viget in ea lex membrorum et carnis: caret prudentia, quam pariter experimenta, novus et hospes mundum ingreditur; unde omnia miratur et avidè perlustrat, nihil non concupiscit, velut novitius accedit ad vitam virtutis: imo constitutus in bivio prior ad eam, quæ vitiorum est, præcipitat. Unde dixit Salomon *viam viri in adolescentia sibi ignotam esse*, Prov. XXX. Et S. Chrysost. ep. ad Olymp. *In adolescentibus majus est naturæ incendium, major concupiscentiæ tempestas, infirmiora con-*

silia, ratio, quæ vitia gubernet, infirmior, q. d. navis in periculoso transitu, gubernatore carens. Hinc gravissima quæque scelera per ss. litteras plerumque a juvenibus patrata invenimus. Quis primum homicidium fecit? Nonne Cain adhuc juvenis? Quinam diluvio causam dederunt? *Filii Dei*, hoc est juvenes, forma, nobilitate, robore præstantes, *ingressi ad filias hominum*, q. d. carnis voluptatibus absque fræno se tradentes, Gen. VI. Quis primum feminæ raptum fecit, et stupro fœdavit? Sichem juvenis, filius Hemor, Genes. XXXIV. Quis primus incestavit uxorem patris sui? Ruben primogenitus Jacobi, aetate juvenis, Gen. XXXV. Quis præ cæteris legitur mendacia confixisse et alios decepisso? Adolescens Amalecites, II. Reg. I. Quis sororem suam primum compressisse? Amnon juvenis, II. Reg. XIII. Quis occidit Amnon, nisi Absalon juvenis per servos suos? Qui primi violasse scribuntur mulieres Deo sacras? Filii Heli, juvenes, I. Reg. II. Quinam perverterent regem Roboam, nisi juvenes? III. Reg. XII. Denique sicut ex toto Saulis exercitu nemo gustavit mel in agro fluens contra edictum Saulis præter adolescentem Jonatham, I. Regum XIV. ita nemo pronius et facilius mundi dulcedine inescatur quam juvenes. Itaque hæc aetas maxime fræno et custodia opus habet; quæ autem melior custodia, quam si domi sub cura parentum vel magistrorum in scholis contineantur? Quis nescit teneras arbusculas et primas veris plantulas, primos quoque flores facile a pruina et frigore lædi? Idcirco enim noctu contegi solent, usque dum sol incalescat; per hiemem vero in subterranea loca reponi. Hinc S. Gregor. Nyssenus, lib. de creat. hom. c. XXV. *juvenem appellat, florem*, qui facile marcescit. Vel ipsa enim aura uti sæpe nocet flori, ita etiam juveni. Clare id ostendit parabola filii prodigi, qui si domi sub custodia parentum remansisset, in miserias illas et dissolutam vitam minime incidisset. Quid enim tale accidit fratri ejus, qui in domo paterna mansit? Luc. XVI. Joseph adolescentulus 16. annorum, quando a patre solus sine duce et pædagogo missus est foras ad quærendos fratres, per avia et devia errare cœpit in agro et a viro obvio directus est in Dothain, quod significat defectum; ubi a fratribus pessime habitus ac denique venditus est, Genes. LXXIII. Et ubi Abel occisus est a fratre nisi foris in agro, ad quem fratris hortatu egressus est? Gen. IV. Septuaginta habent Cain dixisse: *Transecimus in campum*: ubi Augustin. *Campus est via lata, quæ ducit ad interitum, et in campo Abel occiditur.* Nihil aliud expectent parentes a filiis, quando eos a cura vel

sua vel magistrorum aut praefectorum liberos dimittunt vel in exteras regiones mittunt: prodigos enim ac perversos recipient variis defectibus et vitiis depravatos, vel omnino perdent.

IV. Ut doceret juvenes quomodo se tueri in periculoso illo statu possint. Tria vero potissimum documenta suo exemplo tradidit: obedientiam, quia erat subditus parentibus: humilitatem, quia nullum eo tempore divinitatis suae specimen edidit, nec ullum miraculum patravit: silentium, quia nec sapientiam suam docendo aliquos prodidit: nihil enim de his scriptum. Praeclara certe sunt ista juventuti ornamenta simul et munimenta contra hostium insidias, quas patitur quam plurimas.

Obedientia imprimis, qui cum teste Aristotele sint tabulae rasae, frustra litteris exornantur, nisi manui scribentis pareant. Veteres pinxere juvenem hoc emblemate: oculos habebat velatos, manum dexteram ligatam, sinistram vero solutam. Indicabant ea pictura juvenes carere adhuc rerum experientia adeoque ductore opus habere: deinde pronos esse ad male agendum, difficiles ad bene agendum, adeoque nihil dextre et considerate, sed omnia sinistre et perturbate agere. Quis autem dubitat tales tendere ad interitum, nisi oculato duce regantur? Iter aggressurus, maxime ad initium viae, indiget ductore, si viae ignarus sit: alioquin longissime aberravit. Tales autem viatores sunt adolescentes, cursum vitae suae primum inchoantes. Unde Ps. CXVIII. obedientia ejus praescribitur: *In quo corrigit adolescentior viam suam? In custodiendo sermones tuos.* Aequae necessaria eis est humilitas; quia si a teneris insolescere incipiant, ubi adoleverint, prorsus intolerabiles erunt. Hinc praesagium sumpsit de Juliano imperatore apostata S. Gregorius Nazianzenus, qui Athenis cum eo litteris operam dabat, fore eum pestem Romani imperii, uti ipse testatur oratione secunda in Julianum. « Neque enim, inquit, boni mihi quicquam significare atque ominari videantur, cervix non stata, humeri subsultantes et ad aequilibrium subinde agitati, oculus insolens et vagus furioseque intuens, pedes instabiles et titubantes, nasus contumeliam et contemptum spirans, etc. Ut haec conspexi statim prolocutus sum: Quale malum Romanorum terra nutrit. » Idem intellexit Demetrius Phalerius, qui adolescentum fastuosorum sublimitatem dicebat, in educatione amputandam esse, apud Laert. lib. V. cap. V. Nihilominus decet eos taciturnitas seu loquendi parcitas, cum nesciant adhuc sapienter loqui, quod tacendo imprimis discere et meditando proferenda debent. Hinc monet Ecclesiasticus, c. XXXII. *Adolescens loquere*

in tua causa viae (hoc est, aegre) si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum, h. e. paucis et summariter responde. Certe Pythagoras, teste Laertio, lib. VIII. astringebat suos discipulos quinquenni silentio, priusquam in schola loqui ac discurrere possent: quo tempore audiendis magistri placitis iisque memoriae mandandis vacare eos volebat, ut sapientiam suo tempore cum modestia profiterentur.

V. Ut nos omnes informaret qua ratione conversari in hoc mundo debeamus, ita videlicet primo, ut quantum possumus ab ejus tumultibus nos separemus, ut in solitudine cordis latere studeamus: quemadmodum et ipse, cum potius mundi dominus esset, exiguum tantummodo mundi angulum, parvulam casam in parva et ignobili civitate elegit, ubi per annos fere triginta procul a mundi strepitu habitaret: cumque necessitas eum cogeret aliquando cum mundo agere, triennio solum et paulo plus cum eo conversatus est. Quando Moyses ultionem de vituli cultoribus sumi recepit, non mandavit ut levitae sceleris vindices tentoria intrarent, et inibi homines jugularent, sed ut per vias publicas irent, et noxios interficerent, ut observat Cajetanus, Exod. c. XXXII. *Ita et redite, inquit Moyses, de porta usque ad portam per medium castrorum, etc.* Sic omnino in periculo perditionis sunt, qui foras ad mundum prodeunt, ejusque tumultibus se miscent: non ita, qui se abstrahunt quantum possunt, et domi suae affixi, solitudinem cordis quaerunt. Erat apud Ephesios adhuc gentiles dies festus, qui ab eis vocabatur Contagogium. In eo personati aliqui ex incolis

clavas gerentes, et similes tenentes, sicque insigniores civitatis plateas obibant, quaedam carmina decantantes, interim obvios quosque viros ac mulieres more praedonum invadebant, magnamque caedem faciebant, existimantes et aliis persuadentes, quod hac ratione suum honorarent Deum seu daemone, necnon illos honore quoque afficerent, quos sic mactarent. Quae diabolica bacchanalia cum prohibere vellet S. Timotheus Ephes. episc. et ipse a grassatoribus illis in vasus, clavis contusus et per terram raptatus: itaque velut mortuus derelictus est. Ita habetur in ejus vita, 24. jan. apud Sur. Insanus iste ludus et execrandus daemone cultus adamussim ostendit mundi perversitatem, qui simili violentia vanaque persuasionem adoritur mortales, contundit et occidit, quotquot ipsi obviant et in publicum prodeunt, h. e. mundi tumultibus se miscent. Qui igitur ab iis praedonibus salvi esse volunt, domi se contineant, mundo se non misceant, sed quantum possunt subdu-

cant. Hoc ut faceret B. Arsenius, in aula imp. Theodosii versatus inter vitae pericula vocem Dei audiit: *Arsen fuge tumultus mundi, si vis salutem consequi, ut in ejus vita.* Secundo, ut mundo quidem utamur ad necessitatem, sed non abutamur. Quidquid divitiarum, quidquid deliciarum erat in mundo, habere poterat Christus, si voluisset: at nihil ab eo sumpsit, nisi pure necessaria, angustissimum domicilium, tenuissimum victum, vilissimum vestitum: nihil omnino superfluum. Sic vivendum nobis, ut mundo hoc utamur, sed non abutamur, prout monet apostolus, I. Cor. II. *Qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur.* In Graeco melius dicitur: *Tamquam non abutentes.* Abutuntur rebus mundi, qui non ad necessitatem sed ad cupiditatem, libidinem et superfluitatem utuntur, v. g. qui vinum non solum potant, sed etiam effundunt aut eo se ingurgitant. Abutuntur qui rebus fluxis non obiter et fluxe, sed firmiter et perpetuo inherere cupiunt. *Non debet ea mulier, inquit Cicero in topicis, cui vir bonorum suorum usum legavit, cellis vinariis plenis relictis, putare id ad se pertinere: usus enim non abusus legatus est.* Pari modo quibus hujus mundi usus a Deo concessus est, non existimant sibi mundum a Deo legatum, ut eo semper et stabiliter perfruantur et quidquid libido dictat, cum bonis ejus agant, prodigant, disperdant: usus enim mundi, non abusus ejus concessus est. Non sine egregio documento Cantic. V. dicuntur oculi sponsi Christi, *sicut columbae super rivulos aquarum, quae resident juxta fluentia plenissima.* Tales enim oculos habuit, talis fuit columba Christus dum in Nazareth et materna domuncula habitaret, quasi juxta mundum, non quasi in mundo. Aves aliqua sunt, quae in alto solum versantur, nihil cum aquis negotii habent: aliae contra perpetuo in aquis haerent, iisque se immergunt, uti merguli, anates, cygni: aliae denique sunt, quae nec aquas omnino fugiunt, nec ingrediuntur, sed juxta illas vel habitant vel

saepe versantur, uti columbae, quo nimirum inde bibant et in iis hostes suos speculentur. Primi generis sunt religiosi, secundi saeculares, mundo innatantes: tertii sunt illi, qui in mundo quidem sed non cum mundo vivunt, et ab eo solum necessaria accipiunt. Tertio, ut provideat sibi unusquisque vitae suae moderatorem et conscientiae arbitrum, cujus directione et consilio vitam suam instituat. Fuit Christus in ipsa etiam infantia omni caelesti sapientia plenus aequae ac in virili aetate, voluit nihilominus usque ad triginta aetatis annum subditus esse parentibus ad doctrinam nostram, ut nos quantumvis adulti, seu viri seu senes directorem spiritualem nobis adscisceremus, cujus prudentia et consiliis in rebus salutis nostrae staremus. Fecere hoc plerique omnes principes christiani, et mandat imprimis S. Ludovicus Franciae rex, moriens filio suo: « Dilige tibi sapientes confessarios, qui te possent instituere et docere, quid agere, quid vitare te oporteat: et coram illis ita te comparas, ut audeant te sincere reprehendere et vitia tua indicare tibi, » ut in ejus vita, 25. augusti, apud Sur. S. Elisabetha Thuringiae princeps suae conscientiae directori, Conrado, etiam votum obedientiae praestitit, quo per omnia ad ejus nutum se gubernandam ipsi obtulit. Nec tacendus imper. Maximilianus I. qui cum Welsam superioris Austriae Tyroli devenisset, ibique morbo correptus esset, evocavit ad se Friburgo antiquum confessarium suum Gregorium Carthusianum, virum religiosissimum simul et doctissimum; quem venientem lecto decubans, cum aspexisset, animo exhilaratus, levato capite: *Hic, inquit, viam mihi in caelum praemonstrabit, Cuspiano teste.*

Quando igitur vidimus magno salutis nostrae bono Salvatorem nostrum abscondisse a nobis faciem suam ad virilem usque aetatem, laudamus Deum nostrum, et rogemus ut sicut hic in terris ostendit nobis tergum suum, ita demum ibi in caelis ostendat quoque faciem suam.